

NOMINE TRISAGIO AUSPICE ET DUCE:

ΑΙΣΘΗΣΙΟΛΟΓΙΑ

SEU

DISCURSUS PHYSILOGICUS

Dic.

SENSIBUS HOMINIS,

Quem.

Ex Suffragio & Consensu Ampliss. FACULT. PHILOS.

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET PRÆCLARISSIMO,

DN. M. PETRO HAHN,

PHYSICES PROFESSORE ORDINARIO ET REGIO,

In florentissimo ac celeberr. ad Auram Athenæo,

genuine dextreque philosophantium examini sifit

ANDREAS LUNDIUS J. F.

Uplando - Roslagius,



*Et in dicto Famigeratissimo Lyceo, ex Auditorii superioris &
maximi Cathedra publicitus defendere conatur.*

Addiem 16. Calend. Maj. Anni Æræ CHRITSIANÆ & ΘΕΟΦΟΧΙΑΣ
MDCXC. horis ante meridiem consvetis.

Aboe, Impr. apud Joh. WALLUM, Regie Acad. Typogr.

S:^x R:^x M:^{tis}

Magnæ fidei Viris,

Nobilissimis, Amplissimis Spectatissimisque Dominis,

Dn. SAMUELI Åkerhielm/

Dn. ANDREÆ Leyonstedt/

Regiæ Cancellariæ Secretario
Prudentissimo,

Regiæ Cancell. Secretario
Perindustrio.

Dn. SVENONI Leyonmarck/

D. MAGNO Barckenbohm

In Regiæ Cancell. Archivo Secre-
tario Dexterrimo.

Regiæ Cameræ Comissionis Came-
rario Attentissimo.

PATRONIS. ET. EVERGETIS. OPTIMIS. ÆTATEM. JUGI-
TER. COLENDIS. CUM. VOTO. OMNIGENÆ. PROSPERI-
TATIS. ET. INCOLUMITATIS. IN. SPEM. BENIVOLENTIÆ. ET.
FAVORIS. CONSEQVENDI. QVO. BONARUM. LITERARUM.
AMANTES. AMPLECTI. SEMPER. SOLITI. FUISTIS. QVIPPE.
QVI. IPSI. MUSARUM. SACRIS. HAUD. VULGARITER. INITIA-
TI. HOC. QVALECUNQE. MUNUSCULUM. CHARTACEUM.
UT. DEVOTI. ANIMI. TESSERAM. INSCRIBIT. NUNCUPAT.

Ampliss.^{ma} Vest.^{ra} NN.

observante

colens,

A. L.

Petrus Hahn - Andreas Lundius,
De sensibus hominis. 1690.



Alkuperäinen:
Västerås stifts- och landsbibliotek

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,
AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO,

S.S. Theol. Doctori longe Excellentissimo, inclutæ Diœcœsos
Aboënsis Episcopo Eminentissimo, Academiæ hujus Pro-
Cancellario Magnificentissimo, atque Consistorii
Eccles. Præsidi Gravissimo, Musarum Patro-
no Magno.

NEC NON

Amplissimo Consultissimo
DOMINO,

DN. ERICO FA-
LANDRO,

Regii Dicasterii, quod Aboë
est, Adfessori gravissimo, bo-
narum literaturæ Patrono &
Meccenati Propensissimo.

ET

Nobilissimo ac Consultissimo
DOMINO,

DN. CAROLO
CAXPPLAM

Wemoënsis & Mascoënsis Ter-
ritoriorum Judici Prudentissi-
mo, Nutritio & Patrono ut longe
benignissimo, ita multis nomini-
bus jugiter colendo.

CUM. VITIS. NON. FACILE. ASSURGAT. NISI. PER. ULMUM. SER-
PENS. VESTRAM. REVERENDISS. DN. EPISCOPE. AMPLISSIMI. NO-
BILISSIMI. ET. CONSULTISS. DN. BENEVOLENTIAM. OPEM. DE-
FENSIONEM. ETIAM. ATQUE. ETIAM. IMPLORATUM. ACCEDENS. SE.
TOTUM. IN. SINUM. ET. COMPLEXUM. VESTRUM. CONTRA. SATEL-
LITIUM. MOMI. CONREDENS. PRIMITIAS. HAS. ET. TENELLUM.
INGENII. FOETUM. IN. OBLIGATIONIS. SUÆ. ET. DEBITÆ. OBSE-
VANTÆ. OBSIDEM. GRATI. ANIMI. OB. PRÆSTITA. BENEFICIA.
ARGUMENTUM. PERENNIS. FAVORIS. ET. STUDIORUM. SUORUM.
FUTURÆ. PROMOTIONIS. SPÆM. CERTISSIMAM. OFFERT. DICAT.
NUNCUPAT. CONSECRAT.

Reverendissimæ Tuae Dignit. &
Amplissimorum Nominum Vestrorum
religiosissimus Calebor

A. L.

KANSALLIS-
KIRJASTO

Præstantissimo
VIRO-JUVENI

DN, ANDREÆ LUNDIO,
ROSLAGIO,

De BENEFICIO SENSATIONIS solerter
disputanti:

 Non minor est acies, nostræ miracula
Sensus.

Pervestigare, ac lemina cæca alias
Rerum, quæ latitant puto submersa
profundo:

Qvod qvondam qvæstus clarus Aristonides.
LUNDIUS exactos habet ast moderamine *Sensus**
Theologum dices, marte Sophumque suo.

*Ebr.V.14.

ANDREAS WANOCHIUS,
Phil. Praët. & Hist. Prof. Ord.
Reg. Acad. h. a. RECTOR.

*Virum traditione morumque elegantia Praestans,
tissimum,*

**DN. ANDREAM LUNDIUM,
SVECUM,**

*De Sensatione ejusq; requisitis dissertatione perdoctâ
dextre disceptantem,*

INDAPION

Perceptio colorum,
Auditio sonorum,
Gustatio saporum,
Olfactio hinc odorum,
Sensusque qualitatum,
Qui tactui patescunt,
Humore frigidante,
Vel siccitate durâ,
Urente vel calore
Geluve cuncta stricto,
Sensatio vocatur,
Vulgoque nuncupatur.
Hæc Palladis satelles
Industrius probando
Scrutatur, & refellit
Contrarios stropharum

Nodosque captiosos,
Fallaciora tela
Doctâ retundit arte.
Hæc LUNDIUS peracris
Libravit & revidit
Meditationem mentis,
Curâ sagaciore
Momenta ponderando,
Et diligentiore
Studio hæcce ventilando,
Jam publicâ in cathedrâ
Hanc rem daturus orbi.
Ad gratulorque cæptis,
Plaudoque latus ausis,
Tamque entheis laborum,
Tamque arduis honorum.

Amico animo scripsit

PETRUS LAURBECCHIUS
S. S. Th. Doct.
& Prof. Ord.

Ad Eximium Praestantissimumque bonorum literarum Studiosum,

**DOMINI ANDREAM LUNDIUM
Rostlagium,**

*Amicum singulariter dilectum, de SENSATIONE egregie & erudite publice
disputantem:*

Aniquum quidem est, at tamen non minus verum, quam usu comprobatum; *nullam settam fuisse, que non aliquid ex vero viderat*: quia, cum creator O. M. non tantum corpore prae brutis peculiari, sed & anima rationali, hominem instruxit, hujus quoque opere, ut & actiones suas dirigeret, & illas res inveniret, quae in ipsius laudem hominumq; utilitatem vergerent, eundem voluisse, sine dubio censemus est. Nam, nisi hoc concedatur, sed contra assertatur, animam ideo hominibus esse datam, ut illam incultu obbrutescere paterentur, non sane videretur, nisi qua corporis figuram, magna inter homines & bruta esse differentia. Sed tamen non aequalis facilitas ad praeclaras res inveniendas easdemq; in effectum deducendas, omnibus promiscue est concessa. Quidam enim majori ingenii vi, majore acumine sunt & fuerunt praediti: quidam contra stupidi prorsus, aut valde simplices deprehenduntur. Quae quidem diversitas licet sepe educationi institutionique accepta ferenda sit; haud exiguum tamen partem, ipsa aptitudo naturalis, ut quis in aliquo vita, in aliquo studiorum genere excellat magis vel minus, facit. Hinc est, quod omni aevi, jam inde a condito mundo, multi egregii viri, sed tamen alii aliis praestantiores, tum solertia rerum praeclararum agendarum, tum promptitudine inveniendarum, floruerunt. Atq; ut nihil in praesentiarum de illis dicamus; quis nescit hos, philosophos intelligo, omni tempore, ingeniosissimos excitisse? sed quorum tamen alii, ut diversa ratione philosophiae sunt, ita alii alios ingenii sagacitate & speculandi acumine, superaverunt. Nulla tamen horum secta fuit, quae non aliquid ex vero,

vero, quamquam non omne, vidit, nam contendere ab uno homine
sunt secta, omne quod scibile sit, esse exhaustum, ut nihil ceteris relin-
queretur quo ulterius progrederentur, id vero in creatorem impium,
& in tot secula contumeliosum fuerit. Itaq; minus recte illi sibi
consulere videntur, qui ita sece uni illarum mancipant, ut ceteras neg-
ligant, aut contemnant. Apes potius imitandæ sunt, quæ nos ex
uno flore, sed ex variis, mel suum colligunt, & favos conficiunt.
Si tamen aliqua præ ceteris erit eligenda, Illa, nifallor, potiori lo-
co euilibet veritatem seellant debet esse, quæ ita hanc conatur pro-
ponere, ut non obscuris aut intricatis & spinosis argutiis, præposto-
ra quadam diligentia, eandem, quæ simpliciter & aperte erit tractan-
da, involvat & obumbret. Nam nihil videtur esse in justius, quam
sterilem veritatis larvam, difficultibus nugis & umbraticarum con-
tentorum atq; rixarum argutiis veram sapientiam mentientem, in-
vadere sacrosanctam veritatis sedem. Nec quemquam movere de-
bet, quod quidam contra occinere & vociferari solent, *artem non*
habere osorem nisi ignorantem, cum quis desiciis ipsorum, quibus in-
sueti sunt, non delectatur. Quasi adhuc esset probatum, artem lau-
dabilem esse ac non potius summum nefas, veritatem quæ simplex
& una est, palamq; conspici vult, barbaris & horridis vocabulis
obscure ac nontantum conspurcare. Melior Tibi, *Eximie Dn. Re-*
spondens, ^{sedet} mens, qui cum ita operam antiquis dedisti philosophis ~~se~~
~~dæ~~ ut non neglexeris etiam recentiores, tum ea omnia, quæ exil-
lis perceperas, tam clare & distincte novisti efferre, iisque rationibus
robotare, ut non minus facilitas styli, quam rationum ponderale
storem delestant. Id quod satis ex hac, quam nunc in publicum das ex-
miniq; submittis, disputatione colligi potest. Gratulor itaq; tibi
illam felicitatem, qua sub optimis præceptoribus proficere conti-
gerat, eosq; profectus facere, ut non frustra conjicere liceat, Te prope-
diem talem evasurum virum, qui & reipubl. sis in partibus officii Ti-
bi credendis utilis, & tuis gratus acceptusq;. Scrib. Aboz occupa-
tissimus, prolixo tamen affectu 6. April. 1690.

MATTHIAS SVEDERUS.

Peregrini.

Peregrinie Dn. RESPONDENS,

 Audeo mihi & gratulor Tibi, quod inter tam varia secundi studia tam discrepantem ingeniorum conflictum, ad veram sapientiam capacem animum adjunxeris. Hec enim altissimam Divinarum rerum notitiam & cultum, nulla hypocrisi infectum docet. Hec Justitiae sacra, quæ inter honestum & utile publicum voluntur, instillat. Hec corporis nostri sanitatem, procurat, conservat, vel amissam reducit. Hec deniq; rebus & verbis multum differt à larvata illa, vocabulis festiva, rixandi pertinacia tumida, de qua extat elogium candidum prudentissimi Poëtarum,

Hæcceitas, Reitas, Enteitas, Ubietasque
Personaleitas; Speciosa & nescio qualis
Quandoitas, nobis non parum exosa Chimers
Et suppositaleitas, ubi cautio juxta
Et Formaleitas longum formosa per orbem
Nobilis hercle cohors, sed vis m. seranda sororum.

Parentabat barum Dearum funebribus ex dolore justo IPSE Sperlingius in p̄fatione ad Exercit. suas. Scilicet vera Philosophia instillat ingeniis illustribus solidam scientiam, experientia confirmatam; placidos spiritus, risu Democriti contemporatos; notitiam ardiam, Salomonis melle perunctam; quam sensim explicat ea oratione, quâ, Dei bonitas, Regnantium Majestas, Populorum salus conservantur. Sola sane hæc Principum capita coronat; Sola Magnatum mentes exaltat; sola Academiarum pectora timore justo & sancta sapientia beat. Errans v. illa & spinosa, per somnia & vagos conceptus, pulicu pedes metitur, iurgia miset, incerta intrudit, quasi Ignorantiæ salus periclitaretur nisi istos μεροπόφες Elenchos fundaret, super quos, ab orbe condito, ad tempora nostra nuspiam locorum exstructi sunt Regnorum honor, Religionis vis, Lycei gloria. Curiosa esset contemplatio si ruentes in arma viri, pro clypeis, pulvere, tormentis & gladiis opponerent tela conclusio-

num, phalangem ex corollaris, ac milles rocculas consequentias; tum v. admirabilem reportarent victoriam Menippo longè gratissimam! Nec minor animorum insurgeret delectatio si Mundus Preses Justitia larvatis coloribus, argutiis & superba insectis leges formaret, ac querelas componeret gentium. Quis quoq; eos triumphos non bilari vultu inspicere, si Lutherus aliquis & Chemnitius, AntiChristi imperium, Mahometis deliria, Paganorum somnia everterent mole Idearum, amabili subtilitate, confaccarata elegancia, neglecta planè verbi divini efficacia. Jam si Galenus si Hippocrates ab electa quidditate, addito oleo distillato ex scorriis formalitatum; morbos capitis, Pectoris, abdominis & opinionum tollere possent: credibile erit propediem cacos videre, surdos audire, leprosos purgari. Eset & hoe dignum memoria annualium, si ex hac lana, sīla quantitatū extraherent Mathematici; Oratores & Poëte amplificationum suarum Magnalia diducerent; Historici, Regnorum ortum, Principatum ingenia, bellorum causas, motus gentium, pacis suavia contexerent, Nature consulti, fabricam Mundi & globorum seriem explicarent; Digni sunt sine omnes, quorum & ignorantiam & miseriam & stultitiam Heraclitus, lugubri gemitu ac ululatu deploret. Nunquam talia eloquutus est Christus, Moses, Prophetæ, Apostoli: Nec intellexerunt Plato, Aristotle, Seneca, Tullius aliq; Paganorum, nunquam tales margaritas invenies apud Tacitum, Livium, Gramondum, Thuanum & consimiles eruditio[n]is proceres. At longè eset dignissimum judiciis & eternitate seculorum, si Pietas ista consolations mortis atrocitatē leniret: Fortitudo tali clava Herculem everteret: Magnificentia muros urbium firmaret: Liberalitas totogenos aleret: breviter, nam spiritus me deficit, si totus virtutum chorus iſis geminis superbiret: deauratq; omnino staren[t] regnum cardines, auctoritas civium, Schole juventutis, Urbium excessa atq; turrita spectacula! Scilicet, in cunctis rebus, utsus laudem, a utsus vituperium parit; ne sine judicio & ratione ob-

securetur veritatis candor, veritatis fides, veritatis simplicitas, aut
chaos ante tempus, præcipitur in Chaos. Eorum proindelau-
do conatus, qui eruditioni necessariæ incumbunt, quoniam parum
prodest, in tanta temporis penuria, discere supervacua.
Dissertatio hæc, optime juvenum! Ideam sensationis bene de-
pingit, contemplationis modum ex nature indole; organorum stru-
cturam ex sectionibus & observatione anatomicorum: partium
harmoniam, pulchritudinem, concatenationem ex Matthesi; Expe-
rientiam solidam sive Magnetem, ab ipsa Medicorum curia petitam,
fidi brachio combinat. Hoc demum est sapere, non alligare se
buic vel illi Sectæ, vel unius nomen ac precepta venerari, contem-
pta rerum indole. Sed lectione copiosus, experientia dives, actu
felix, eloquio promptus, veritatem defendere. Hanc Reginam a-
dorat sincera libertas Academica juxta privilegia que nobis dat sa-
pientiss. Romanorum brevissimis verbis sed prolixæ meditationis:
multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non perege-
runt; multum adhuc temporis restat, nec ulli nato post
1000. secula præcluditur occasio aliquid addendi. Enim-
vero naturæ Contemplator si destituitur Medicinæ aliquali
scientia; si caret Matheleo peritia; si Chymiae industriam igno-
rat; si in Botanices profunda indagine non est versatus quater-
nario Pythagoræ numero; non plus adfert salis ad nobilem
hanc structuram; quam Avicula carens pedibus, carens rostro,
carens visceribus, carens alarum remigiis. Ut defossus in Abyssō
Ihesaurus nemini mortalium in usum cedit; sic honor Medicorum
& Physicorum floret, quando habent discipulos, qui fideliter didice-
runt ab illorum ore commiscere utile dulci. Ingens est differen-
tia inter illud formidabile: sic volo, sic jubeo, stat pro ratio-
ne voluntas, non audit currus habenas: Et hoc suave, hoc
sublime, hoc gratiosum symbolum: omnia debes certa firma-
re fide. Illud quoniam amas & defendis, Deum O Max. bone in-
tentioni ac egregiis donis, nunc quoq; addere robur & perennitatem
optat.

Tuus

D. ACHRELIUS.

b

In

In Specimen publicum,

VIRI-JUVENIS

Politisissimi & Doctissimi,

DN. ANDREÆ LUNDII,

Amici sui per dilecti,

Gratulatio:

 qveis sine, multiplici fugiunt ambage reducta,
Omnia ; qveis sine, nil, toto quod nascitur orbe,
Est notum: cœcis eadem sunt septa tenebris,
Atque implexa latent vario certamine Doctum.
Nomina cum pateant, miræ cernantur & ipsæ
Virtutes; nostras, modus ipse eludit agendi
Qvam miserè, mentes! Signo de sensibus ista,
Grandia monstrificis qvorum miracula curis,
Ipsa sagax natura docet. Ni fallor, habebit,
Ardua tanta labor, qvem porrigit arte polita
LUNDIUS, en! svaves cui spondent grata Camœnæ
Præmia ; Doctorum facilis simul annuit ordo,
Pieridum sacris qvod gnavè incumbat amœnis.

Qvam L. Mq adposuit
DAVID LUND.

In
DE SENSATIONE

Dissertationem eruditam

VIRI-JUVENIS

Doctrina, & moribus ornatissimi, Politissimiq;

DN. ANDREÆ LUNDII,

σύγχæma:



DOMINI mentis arcem, quomodo proferant,
Sacramque sedem turba satellitum
Septena sensus undique imagines
Haufas, pagina differet ,

Quæ clara adest, hæc, doctaque LUNDIL
Proin faventi huc Pierides manu,
Nostrique acuto plaudita lensui

Clare una exposito hic sophi !

*prolixiori affectu quam carmine dedit
adpositaque,*

SVENO DIMBERG

Math. Prof. Extr.

Adplausus votivus,
Ad Politissimum & Literatissimum Dominum,
Dn. ANDREAM LUNDIUM,
De Sensibus pererudite disputantem, studiorum meorum Mode-
ratorem, ut fideliss. ita maximo honore nunquam
non prosequendum.

Philippus, Rex Macedonum, sibi gratulabatur, (teste Agellio) non tam quod filio Alexandro auctus esset, quam quod, Aristotele florente, nasci sibi filium contigerit, cuius institutioni & informationi tuto natum posset demandare. Cur etiam ego me non felicem depraedigem? Cui ille accidit, qui tanto nisu & conamine mee saluti consulit, mee informationi curam operamq; tam impensam impendit, tantq; fide ac diligentia hoc saxum Sisyphium, Palladii agide affatim premunitus, volutare non detrectat. Porro, Perximis Dn., specimine hoc publico ostendit Te arduum sapientiae callem & studiorum circum, generoso & leonino animi ardore decurrere: eo etiam nomine lividos famae vespillones & Theoninos dentes perrumpendi, deg; statu animi ampulloso deficiendi idonea occasione accepta. Quid vero mirum, quod calibus literionibus di-
caculie omne cerebrum sit in lingua? cum nec dies sine nocte, nec sol sine umbra sint. Preterea sicut Tibi Dn. Resb. post parentes alteram vitam, scilicet ut recte honesteque vivam, debeo, & ad omnia officia devipulus maneo; nec volui nec debui non tibi, hac data occasione pro more adgratulari: vovens insuper velit Deus O. M. omnibus Tuis conatus sua gratia adesse, favere!!

Sic calido animo adplaudit,
JOH. CARPLAN.

Nihil magis in votis babeo, Pereximie Dn, Studiorum meorum,
morum viteq; director ac institutor indeesse, quam ut mate-
ria, æque ac animus, mee, erga Te obligationi declarande,
suppetat. Quantum namq; tenella etas conjicere permittit, palma-
rium mibi duco in hoc vite curriculo bonas literas fideliter didi-
cisse; cetera lubrica, fluxa, caduca & nutum fortune sequuntur.
Valeant autem homines illi Mercuriales, qui aperta fauce opibus cor-
radendis jugiter inhiant: Ego sat dives, si animus ditescit, licet non
area. Hunc autem modū direscendi a Te, mi Charissime Preceptor, ab-
unde babeo. Propterea in animi grati argumentum, ex intimis ani-
mi recessibus promanantia vota præsenti Tuo instituto addo, ut D.
O. M. studiis, & conatibus Tuis adsit & benedicat, quo in suam
gloriam vergant, Patriæ deniq; ipse succrescas, Tibi Tuisq; sis e-
molumento & solatio! Hoc faxit Deus, qui omnia facere potest!

CAROLUS CARPLAN,
C. F.

Politissime Dn. LUNDI

egregiaz hujus disputationis auctor & Re-
spondens, amice singularis.

Mirantur multi, qvanam ratione modoque,
Accidat, ut pauci cernere vera queant.
Sed caussa in promptu est; nam mentis nubila qvisq;
Dum sequitur, luci non patet usq; locus.
At quem solus amor veri, ratioque potenter.
Excitat, is solus vera videre potest.
Hæc Tu facundè declarans, optimè LUNDI,
Verum te præstas, legitimumque sophum.
Perge bonis avibus misis servire verendis,
Sic doctæ curæ præmia digna feres.

Amica mente manuq; Scribebat
JACOBUS WENNER GREEN


APOLOGIA AD LECTOREM CANDIDUM & NIGRUM.

Aquus rerum Arbitrus existimet velim me non solo temeratio Herculeoq; ausu, & vanæ glorioæ aucupio adductum hoc publicum vadum tentare. Tempus huic materiae nobilissimæ & copiosissimæ justum haud suppetit: unde quoq; hæcce paucularū horarū, *avtozēdia*, raptimq; convasata aphorismata non eo quo pat fuit, tenore, rigore & prolixitate prodiere, cujus rei veniam mihi non facile denegatum ir~~e~~confido eom, qui justas unquam excusationis leges observare solitus fuerit, memor Sallustiani illius: satius esse pauca dicere, quam multa silentio præterire. Si cui illo-tis manibus pedibusq; his dapibus, satis exquisitis, utut alias vulgare sint opsonium, animum saturare suum, præjudiciisq; κατὰ πόδα adhærescerre volupe fuerit, nultus dubito, quin hæ multorum palato nimis rigidæ & acerbæ futuræ erint. Quid? quod pacem Academicam tollere nolens, sed meo jure modice discedere non detrectans,

Du Hamel (ut qui conciliator utriusq; Philosophiae salutatur) paulò pressius fui securus, ita tamen ut à Nemine compedes mihi injici patiar: Elogium: *avtōs ἐΦα* extra terminos mundi exulet: Aristotelicæ servitutis jugum meæ cervici non imponetur. Cartesius etiam esto Philosophorum omnium princeps, sapientia in nubibus aquila, literatum Hercules & abstrusioris naturæ summus imperator; ejus tamen macipium minime me dico: semper sollicitus fui quomodo è sentibus & tricis præjudiciorum pedem expediendo, viam ad sapientiæ ac Esculapii Templum mihi munirem. Ex communipleraque hausí fonte; vasculo tamen meo. Chiragogorum in hoc studii genere mihi fuere: vivus, Excell. Doct. Drossander, Prof. Upsal. mortui, Arist. Cartesius, Le Grand, &c. Datā operā adparatum & pompam oratorū rigoremq; criticorū, quæ Philosophus, susq; deq; habeo, idq; jure, nam sermo internus & externus non semper pari passu ambulant: & ornati res ipsa vetat contenta doceri. --- Quid refert illatio verborū gratiam demereti, gemmulas huic panno, flosculos huic telæ intexere, Musæoq; pigmēo ea contingere, quæ nativo decore satis superq; fulgent. Si qui Scioli paulò pingvioris judicii hos meos conatus deridere, inq; famam meam debacchari satagunt, sciant operosam mihigloriæ esse displicere malis: optans insuper Democritus adhuc in vivis est; qui sane satis idoneā condignamq; in his horumq; neniis & quisquiliis anilibus ridendi materiam acciperet: in quemvis en. Me a debita semper officia manebunt & paratissima.

Q.F.F.










Fig 1

Fig 2



Q. F. F. J. D. O. M.

ADSSERTUM PROOE MIALE,

Hominem, ob singularem, pre aliis creaturis, prae-
cellentiam non sine ratione omnes, ut miraculum
mundi admirati sint; adeoq; variis eum epithetis
in signivere: a Plinio mudi Epitome & naturae de-
licie, a Mercurio trismegisto naturae miraculum,
a Platone Ænigmata Ieruatarw, a Pythagora μέτρον
ἀπάντων, a Theophrasto proximum a Deo animal & αὐτικόν πα-
γεδερμα audit. Hic compositus est è duabus diversissimis essentiis,
& sic non est res una, scilicet unitate naturae, sicut Angelus est u-
num quid, utpote, qui ad essentiam suam angelicam nihil reqdirit
preter spiritualem esse, & negationem extensionis; sed unitate compo-
sitionis ex anima & corpore organico, que duo unum constituant
hominem. Has autem substantias realiter inter se differre, nemini
nam sani judicii inficias iturum confido. nam corpori ad sui natu-
ram corpoream nihil deest, ejus a natura est, habere trinam di-
mensionem, in longum, latum & profundum esse extensum, esse in
partes divisibile, habere magnitudinem, figuram, situm, motum, &c.
Anima etiam omnia, sui naturam constituentia, abunde habet, re-
bilq; in ea concipi potest, quod corporis naturam redoleat. Hec
nihil aliud est, quam res cogitans, seu res intellectu & voluntate
prædicta, cuius essentiam ne minimo quidem momento absq; cogi-
tatione concipere possum. Ejus adtributa sunt: Intellectus, volun-

tas, perceptio, adprehensio, immortalitas, indivisibilitas, extensonis in longum latum & profundum negatio &c. Et sic barum essentiarum diversitate ad plateram liberioris judicij adpensa, non poterit non cuivis in aprico esse hacte substantias longius inter se, quam cœlum & terram distare, magis & quam ignem & aquam, lapidem durissimum & aërem tenuissimum inter se differre. Proinde siquidem tale nomen vix homini impositum invenitur ullum, quod eis naturam adequate exprimit, ipsi & rei immediate respondet, è re est ut cum doctis sentiamus, licet cum vulgo loquamur. Non enim est nomen aliquod compositum, sicut Zoophyton, b. e. planta animal, quia incertum num ad naturam animalis vel plantæ referri debeat: Sic vesperilio, Glädermus, b. e. volitansmus, quæ mediae naturæ animal inter aves & quadrupedes esse perhibetur. ***

Conf. Anton. Le Grand. part. 9. art. 2. Carrtel. de pass. animæ part 1. art. 19. Phys. Claub. th. 842. & seqq. Adr. Herebord. Pneum. I. i. c. 2. Phys. Claub. th. 827. & 841. & seqq. Du Hamel. Tom. 2. l. 1. c. 9. Phys. Claub. th. 853. seqq.

Quocirca sicut homo è duabus constat substantiis, sic peculiaria sua utriq; sunt adtributa, secundum quæ considerandus venit. Ethæc ad 3. Clases commode revocari possunt: I.^m Classis adtributa sunt, quæ solam Animam respiciunt, ut cogitatio, intellectus, voluntas, perceptio &c. II.^d Classis sunt, quæ ad solum Corpus referuntur, ut magnitudo figura &c. III.^d Classis sunt, quæ ratione utriusq; & animæ & corporis homini competunt ut sensus, affectus, appetitus &c. Omissis reliquis διάτησεσιν sensuum aphoristica breuitate perstringere animus est. ***

MO-

MOMENTUM PRIMUM.

DE SENSATIONE UNIVRSIM CONSIDERATA.

§. I.

Sensus hic intelligitur non dimidiatus & imperfectus, sed plenus & consummatus. Et sic necessario præ-supponitur objectum aliquod, quod terminusa quo sensationis constituitur, unde motus incipit, seu potius determinatur, qui continuatur ad medium cerebrum, ubi sensorium commune & terminus ad quem, ibiç omnes sensationes concurrunt. Per istum motum imago ipsius objecti repræsentatur, ut sic fiat perceptio, quam mox subsequitur judicium. Non diffiteor quidem difficultem admodum hujus speciei esse calculum, arduumq; intellectu, qua ratione ipsum objectum menti sistatur. Alii hoc fieri dicunt perspecies intentionales, ob tenuissimam entitatem sic dictas. Sed illas species vix ac ne vix quidem concipere valemus: quidam per subtilissima effluvia, ex objectis in sensu nostros dimanantia, ut Democritus & Epicurus, Kenelmus itidem Digbæus, (quem vid. tract. i. de natura corporum c. 32. & 33.) hoc explicant. Hoc autem vix felicius concipiatur, quam per motum quendam localem & mutuum contactum, & prout objectum est modificatum, asperum vel læve, rarum vel densum, magnum vel parvum, sic etiam varie modificatur motus & determinatur in organis, unde etiam certus motus spirituum animalium in nervis excitatur, cui motui certa idea in anima respondet: Et ulterius progredi non valemus, sed respondemus ad quæstionem, cur ita: Quia auctor & unitor naturæ ita ordinavit.

Videsis Phys. Claub. th. 890. seqq. Renat. des cartes de pass. animæ part. i. art. 7, 12. & seqq. Adr. Heereb. Meletem phil. vol. i. Disp. 43.

§. II. Hinc facile adparet, ad omnem sensationem, si modo se recte habeat, tria requiri: 1. motum organorum & cerebri. 2. Perceptionem & attentionem. 3. Judicium. Motum corporum negarit nullus, nisi plus satis præjudiciis pueritiae irretitus. Quid est, quod tympanum aurium rumpit, surditatem conciliat, fenestras frangit, cum tormenta bellica exploduntur, an nihil? Quid quosdam (historiana-turalis exempla suppeditat) ad cæcitatem redigere potuit, cum e carcere & locis tenebris in radiorum solarium splendore nimio radiantia loca repente translati essent? Quid? quod Arist. l. 3. de anima c. 13. fateatur: nullus sensus absq; contactu habetur. Et lib. 2. de generat. animal. non potest movere, quod non tangit, & non potest quis affici nisi ab eo, qui movet. Et hic motus non est alius, quam localis, qui licet non magnus tamen est motus, quia auctor naturæ ita ordinavit, ut omnia nobis leniter fluant, & sint q. non essent, dicente Claub. unde nihil pro motu agnoscimus nisi motum vehementem & dolorificum, quiq; inordinatus læsionem & lacerationem corporis, solutionemq; continui minari videtur; sic etiam communiter sensum doloris ad illam corporis partem referimus, quæ primum motum illum dolorificum & inordinatum excipit. Deinde etiam perceptio, quæ in penetrabilibus cerebri peragitur per motum spirituum, inibi characterem imprimentium vestigiaq; relinquentium, adsit necessum est. Sic duo socii sub uno tecto constituti, unus eorum audit sonum campanæ, alter non, non quod non sonus & motus ille tremulus æque ad ejus organa ac alterius penetraverit, sed quod anima alii rei fuerit intenta, nil attendens in motum illum, ex quo alias solet & debet occasionem de hac vel illa re cogitandi arripere. Ultimè etiam

etiam judicium seu perceptionis cum attentione coniunctio requiritur. Sic de puto rum profunditate judicamus ex proportione laterum: hinc fit ut duos puto aquâ repletos profunditate pares esse judicem, cum tamen unus sit 100. ulnarum, alter v. 200. ulnarum. & sic in cæteris.

vid. Claub. Phys. th. 894. seqq. Anton. LeGrand part. 8. art. 10. & n. Adrian. Heerboord. Meletem. philos. Vol. 1. Disp 43.

§. III. Inter hos a. gradus hoc intercedit discriminis, quod priores duo gradus agant ex necessitate naturæ, tertius v. ex libertate & spontancitatis & indifferentiæ. Et sic nunquam error nisi in 3. gradu deprehenditur. Si ad ignis flammarum justo proprius accesserim nolens volens calorem dolorificum sentio. Cum solem adspicio non possum non imaginem solis percipere. Quinimò sine ulla ratione erroris sensus incusatetur, nam si objectum, medium & organum sint justo & debito modo disposita, nullus sensus decipitur. Cum sint agens naturale, & non aliter quam secundum leges naturæ agere possint. Et sensatio talis est, qualis esse potest, & debet, scilicet conformis suo objecto. Sed ipsa ratio & imaginatio in causa est, cuius esset a temerario & præcipiti assensu abstinere, & non speciem recens per sensus accitam cum alia permanente & jam antea percepita connectere, & hoc modo fucum imaginationi facere.

Cont. Claub. th. 906. seqq. Du Ham. Tom. 2. l. 1. v. c. 3. de corpore animato.

§. VI. Anima sentit per corpus & quamvis corporis partem, propter arctissimam corporis & animæ unionem. Anima & corpus agunt in se invicem, adeo ut certi motus in corpore excitati terminentur in anima, quibus motib. certæ ideae in anima respondent, & anime ideae desinant in corpore, quibus ideis parili modo certi corporis motus respondent. Et hanc mutuam reactionem

non aliter explicare valens, quam quod conditor ita voluit adeo diversissimas essentias, inter quas connexio & proportio nulla, connectere. Sic E. gratia quis Magistratus potest alicui 100. thaleros imperiales per schedulam adsignare. Quæ vero proportio & connexio inter tantam pecuniæ summam & tam exigui pretii Schedulam? Verum interveniente arbitrio Magistratus, vilitatem Schedulæ compensantis, Schedula 100. thaleris imperialib⁹ æqui valet.

Vid. Ant. Le Grand. part. 9. art. 3. Adr. Heereboord Meletem. Phil. Vol. 1. Disp. 43. Claub. th. 842. seqq.

S. V. Nervi & spiritus animales sunt proximum & immediatum instrumentum sensationis, qui per nervos, continui instar torrentis, semper fluunt. Hec a spirituum massa vel minimo impulso ab objecto externo commota, undulationes varias in momento ad medium cerebrum transmittit. In ventriculo cerebri est glandula quedam minima, que dicitur pinealis (ob similitudinem strobili pinealis, (Hff en Tallfott) in plexu retiformi, quam plurimis arteriis coagmentato (sicut isti divaricati libera pendens, æqualiter omnes corporis partes respicere potest, & hec putatur esse sensorium commune. E. g. lapidem in fluentum projiciens deprehendet quam infinitos vortices, & distinctas undulationes, etiam flumini contranitentes, lapis excitet. Nec opus est adserere extremam illam spirituum compagem, in extremitate cutis, (quæ ex detectione Celeberrimorum Anatomicorum Stenonii & Malpighii, nihil aliud est, quam conglomeratio quedam sub cuticula ex infinitis fere nervorum, arteriarum & venarum ramulis, ut & glandulis, vasa excretoria sudoris & effluviorum constituentibus conflata) in excubiis q. collocatam, una cum imagine sibi ab objecto externo impressa, plagiæ sibi inflictæ pedetentim & successive ad cerebrum penetrare, propter continuatam spirituum. Sic e. g. eodem momento, quo movetur una

una pars baculi, movetur etiam altera. Cartesii hac in re sententia, dicentis exigua filamenta nervi concavi, semper spiritibus inflata, leviter tensa, in æquilibrio fluidissimo libera pendentia vel minimo pondere mutari posse instar telæ aranearum, in qua, cum movetur unum filamentum, statim in momento etiam moventur cætera omnia, valde lubrica est & nimis infirmo stat talo. Videsis Clariss. Rohault. Joh. Bapt. Du Hamel. Celeber. Dn. Prof. Achrelii Contempl. Mundi pag. 361.

§. VI. *Anima imperium absolutum in corpus non habet: quin imò nec motum aliquem ei adtribuere, sed saltem intra, non extra cerebrum spirituum motum determinare valet.* Prius patet hoc modo: corpus laborans spasmis & convulsionib. Apoplexia, qua integra membra detruncari possunt absque ullo vel minimo sensu, Epilepsia, & id genus aliis morbis, ex spirituum inordinato fluxu, nervorum vitiosa conformatio-
ne, obstructione, abscissione provenientibus, frustra opem animæ, teste experientia, implorat. Motum etiam intestinorum peristalticum, cordis systolen & diastolen, circulationem sanguinis non novit, multo minus impedi-
re potest. Posteriori nulli non potest esse obvium: causa nullo modo effectui largiri potest quod ipsa non habet. Porro moto uno membro seu digito, non potest anima im-
pedire quin & alter digitus moveatur. Potest quis, qui ante 50. annos crus cum pede amisit, exquisitissimum do-
lorem lentire in digito pedis absentis. Consule Kenelm. Digbæum.

§. VII. *Facultatem percipiendi non esse nisi unam, licet sensus sint diversi; & sensus ipsos non tam ratione naturæ, quam officiorum, & exercitiorum esse diversos rationi non absonum videtur,* consentiente Joh. Bapt. Du Hamel. his verbis: in organis pneu-

pneumaticis plures tibiæ eodem spiritu inflatæ magnam sonorum varietatem reddunt. Quot opera manus una exerit? An forte aliam facultatem manus ad percutiendum, aliam ad scribendum adhibet?

§. IX. *Imagines sensibiles minime quis potest percipere tales extra sensum, quales percipiuntur in sensu.* Diversa quidem, dicente Du Hamel, cantilena in Schola peripateticorum non sine magno adplausu quotidie cantatur. sed ingenue confeor me non posse concipere quale monstrum hoc sit in rerum natura, nullus enim est sonus nisi adsit qui audiat, nulli colores nisi adsit qui videat: Alias nil præter motum aëris.

Conf. Rohault. Du Ham. Le Grand. Gassend.

MOMENTUM SECUNDUM.

DE SENSIBUS EXTERNIS.

CAP. I. De tactu.

§. I.

Hec distinctio sensuum in externos & internos non est quidem regulis logicis satis adequata & conveniens, quippe que non ab interna rei natura sed ab externis tantum accidentibus & relationibus desumitur, atq; respectu primi saltem gradus sensibus competit; Nam externi etiam intra organorum penetralia perficiuntur, licet non in intimis recessibus cerebri: Quin imò externi etiam tantum respectu objectorum & organorum distingvuntur.

§. II. Tactus organorum est aut nervorum expansio in ipsa cute, cuius etiam substantia e quam plurimis nervis consolidata, ad similitudinem tele aranee, adeo ut nullam non cuticule partem attingat: Aut glandule per quam multæ inter cutim & cuticulam congregatae, (papille nervose a Malpighio, glandule miliares a Stenone, quæ milii granula referant arcte conferta, dictæ) quarum

in aquæ suam venulam, arteriolam, nervulum & vas excretori-
um habet; Et inter illas glandulas sunt latiora foramina, per quæ
sudor exit, & dicuntur vasa excretoria. Quin imo eæ papille
nil aliud sunt, quam quedam propagines nervorum & tendinum è
medulla spinali, cerebro, cerebello & fibris muscularum provenientes,
adeo ut sint fasciculi quidam ex fibrillis nervis & tendinosis compli-
cati supra cutem, quos fasciculos cuticula seu epidermis deinde ob-
tegit ad arcendas injuriæ objectorum plus satis vehementiorum.
Cont. Du Hamel, Tom. 2. l. 2. c. 1. de copore animato, fidum inter-
pretem Stenonis & Malpighii nominatiss. Anatomicorum.
Ex his minime arduum est intellectu sensationem in qua-
vis corporis parte effieri & excipi posse. An autem tactus
organorum structura ita se habeat? Fidem merito ha-
bemus viris fide dignissimis & famigeratissimis Anatomi-
cis, pariter ac philosophis Stenoni, Malpighio, Helmon-
tio, Willisio, Fabry, Huarto, Chambræo, Kercringio Gaf-
fendo &c. qui industria sua & impenso labore, ope mi-
croscopii hæc omnia detexerunt, & in variis animalium
speciebus, anguilla, cane marino, Raja, lamia pisce, pedib?,
labrisq; superioribus & naribus boum, suum, agnorum &c.
Viperis & serpentibus, hystrice &c. hoc ita vere se habere
experti sunt. Qvin etiam Doct: Dross. Prof. Ups: Praeceptor
meus ut adcuratissimus, ita nec sine maximo honore nomi-
nandus, in sectionibus suis anatomicis hoc ad oculum de-
monstravit.

§. III. Siquidem tactus omnium sensuum est nobilissimus, ut po-
te qui ceteris, si quando decipi illis contingat, succurrendo opem
fert, utq; fundamentum subternitur, per totum corpus diffusus non
immerito ei primus locus adtribuitur. Nullus namq; datur sensus
qui non presupponat tactum: Et pro cuiusvis corpo-
ris superficie varia conformatio, consistentia &

figura, intensiori vel remissiori calore vel frigore, asperitate vel levitate, raritate vel densitate, situ vel fluiditate, varie atq; varie modificatur motus & sic varius ac varius inducitur sensus.

§. IV. Ex hoc modo prohe pensitata tactus organi structura, non adeo difficulti negotio perplurima (Quod tamen pace Medicorum, & indulgentia Acad: hujus Experientissimi & Excellentissimi Medicinæ Doctoris Eliæ Lil. Landz fieri velim) problemata solvi possunt. I. Cui, SCABIES, RHEUMATISMUS, ARTHRITIDES VAGÆ, ULCERA, APOSTEMATA, STRUMÆ, SCURRI, TUMORES & id genus alii morbi cutim infestantes, cause originem debeat? Hoc fit ex male affectis glandulis papillaribus & tenaci pituita, summitati cutis insidente: Ex sero sanguinis acriore & vitioso, in iis glandulis & consimilibus partibus justo diutius se occultante: Ex coniunctione in iis glandulis particularum salinarum, sulphurearum & terestrium, ex corrupto sanguine provenientium. II. CUR EX VEHEMENTIORI CORPORIS MOTIONE, MAJOR COPIA SUDORIS EXEAT? Quia tum sanguis nimis vehementer circulatur & propterea rarefit, & in tantam copiam vaporum resolvitur, ut vas a lymphatica non omnes in se recipere possint; idecirco poros cutis exitum parant. III. Cur sensus alii hebetiores, alii acutiores? Quia hi functioni subtiliori dicati. IV. Cur unum objectum uno tempore varios & diversos nobis inducat sensus? Quia motus & caloris gradus varii, Sic E.g. cum motus in me superat motum extra me, vel contra. Vid. Knelmum Digbæum tract. I. de natura corp. de balneis Turcicis loquentem. c. 27. Tract. I. denat. corp.

Conseil Du Hamel Tom. 2. l. 2. c. 1.

Hic ceteris ut dignitate & usu, ita etiam ordine prior censeri debet. Quocirca primum oculi artificioſſimam ſtructuram 5 partes, (quaſunt: tunica 3, humores 3, nervi 7. quorum unus eſt viſorius, 6. motorii, muſculi 6. quorum itidem 4. reſtit, 2. obliqui) deinceps modum viſionis oculorum & animi judicio paucis ſubjice-re animus eſt, videtur etiam in hujus rei meliorem perceptionem fig. I. ut utrudque delineatam.

§. II. I. FIGURA oculi eſt orbicularis ABCDEF cu-jus pars antica FABC a quovis potest videri, poſtica pars CDEF priori major, intra os capitis latet. 2. TUNI-CÆ 3. numerantur, quaſe ex nervo optico oriri vulgo credun-tur adeo ut nervus in varias diuictus membranas oculi globum conſtituat. Quarum prima CORNEA, quaenam nihil aliud eſt quam duræ matris propago, & omnes cerebro exeunteſ nervos tegit, totumq; oculum ambit, cuj; anterior pars AB diaphana inſtar cornu, CORNEA dicitur; posterior pars BCD EFA opaca & denſa eſt, & vocatur SCLEROTICA. Alia mem-branula e pericranio orta, & ad pupillæ uſq; foramen extenfa, ADNATA dicta, ſeu ALBUM OCULI, ob album colorem, Cor-neam orbitæ oſſibus adligat, nam eſt ex muſculorum tendi-nibus contexta: Hæc ſua opacitate hoc præstat, ut juſto plus lucis per corneam in oculum non penetret. Cornea aliquantulum antrorum prominet, ut radii refractione collecti pupillam ſubeant; alias ſi plana eſſet & depreſſa, ſolum illa, quaſe a fronte ſunt, videreimus, non etiam illa, quaſe a lateribus. SECUNDA AILB UVEA ſeu choroides dicitur & eſt piæ matris propago, in anteriori parte IL perforata, quod foramen PUPILLA dicitur. In hac nota-mus LIGAMETA CILIARIA M N M N, ſeu filamenta quaedam nigra, quaſe humorem crystallinum ſuppeditum tenent. Pu-pilla

pilla dilatatur quando in locis tenebrosis aut eminus aliquid intuemur, coarctatur cum in locis lucidis & cominus aliquid cernimus. TERTIA RETINA membrana tenuissima, quæ a cerebro orta in oculum definit, & nihil aliud est, quam nervi optici pars DE GH & ejus filamenta ST. Hæc est instar candidæ chartæ & definit circa humorem crystallinum propriumq; visus organum ab omnibus constituitur lumen excipiendo.

3. HUMORES etiam 3. sunt, quorum PRIMUS AQUEUS pellucidus instar aquæ, spatium oculi QQQ occupat. Hujus officium est radios infringere, & reflexos crystallino tradere. SECUNDUS CRYSTALLINUS NO NP lentis figurâ, etiam diaphanus sed paulo solidior, magisq; convexum corpus a parte NPN quam a parte NON. Hic idem præstat ac tubis opticus & microscopium, ut scilicet radii, per pupillam, tanquam obscuræ Cameræ angustum foramen introeuntes, eo modo infringantur, ut clara & distincta objecti imago in retina & fundo oculi depingatur; Sicut vitrum convexum forami camere adaptatum in opposito pariete res extra Cameram existentes clare exhibit. Tertius VITREUS in spatio oculi RRR continetur, magis quam cæteri diaphanus, viscidus & ovi albumini similis; non tamen diffilit ut humor aqueus. Hujus humoris est radios in crystallino nimium coactos aliquantulum a se invicem separare, ut in fundo oculi rei species distincte delineetur. Crystallinus & vitreus sua quisq; membranula involvi vulgo quidem prohibetur, aranea & hyaloide, sed a peritiorib. Anatomicis illa ab hac parum diversa habetur: Experientiss. quoq; Droß. Doct. & Prof. Upsal. in dissecto oculo bovino parum discriminis inter utramq; deprehendit, præterquam quod crystallinus fluxu-

flexuoso sinui vitrei se paululum immisit. Adisis Rohault.
phys. part. I. c. 28. vid. Fig. 1.

4. NERVI OCULORUM MOTORII sunt 6. Sextuplici oculorum motui, attollendis, deprimendis, duobus transversis, & duobus circularib. motibus operam contribuentes: Visorii 2. qui sunt quasi spirituum visoriorum vehiculum; Hi tamen ambo instar ramorum postea concurrunt: Quin & musculi spiritibus inflati oculorum directioni, depressioni, contractioni, majori vel minori convexitati inserviunt. vid. Fig. 1.

§. III. Modum visionis rite percipiendi, catoptrices & Dioptrices, reflexionum & refractionum luminis, speculorum planorum convexorum, concavorum &c. subactissima & solidissima cognitio presupponitur, quarum omnium species operose demonstrare instituti ratio non permittit. Primo haec postulata nullam dubitationis aleam subeant necesse est. scilicet, dari ejusmodi corpora solida, quorum occursu lumen retro abigitur, unde fluit, hoc principium & fundamentum, de angularum incidentiarum & reflexionis æqualitate: Deinde dari etiam corpora talib. poris praedita, quæ lumen in se impingens percutsum inclinare faciant non ad lineam rectam per quam impegit, sed ad lineam, ductam ab illum in ante in resistentem superficiem perpendiculariter incidentem; Et hoc dicitur refringi ad perpendiculararem. Si vero in lucis egressu secunda superficies sit parallela priori, contrariis de caussis lux in contrariam partem flectitur: Et dicitur refringi a perpendiculari. cæterum quomodo fiat refractione luminis per vitra convexa vid. fig. 2. quomodo per concava vid. fig. 3. quomodo per plana vid. fig. 4.

Conf Kentl Digbæum c. 13. Tract. I. de natura corp. Rohault.
part I c. 32. 33. 34. 15 &c.

§. IV. Humorem porro Crystallinū concipio ut vitrum con-
vexum
B3

vexum ab ultraq[ue] parte, eamq[ue] ob causam radios duplo celerius conjungit, qvam si unat tantum parte esset convexum, eos scilicet & ingressu & egressu colligendo. Qvanta namque proportione angulus incidentia distat a perpendiculari, tanta crescit angulus refractionis. Sic in aqua potest angulus incidentia esse quarta sui parte major refracto. Et quo vitrum est convexius & rotundius aut minoris sphæræ portio, eo propius objecto sistatur et re est, tum enim radij non adeo obliquè effusi, minus cito refracti concurrunt, & vice versa. Omnes autem radii præter perpendicularares, refractionibus sunt obnoxii. Tunicam dein retinam concipio ut vitrum concavum, quod radios collectos dissipat, quo species objecti distinctior appareat. Quocirca visio fit receptione radiorum non emissione. Satis est quosdam radios, non omnes ex objecto produentes visioni inservire, nempe illos qui pupillam trahunt. Hinc in proposito est omnes colores originem debere variis reflexionum & refractionum legibus, quæ iterum modificatio luminis objecti conformatio debetur. unde etiam patet omnes colores esse æq[ue] reales, nec quosdā apparentes & falsos, ut vulgo creditur. De oculo artificiali vid. Phyl. Rohault, part. i. c. 30. & 31. vid. fig. i.

C A P. III. De auditu.

§. I.

Organum auditus primò cum partib. suis artificiosissime construtis, districtim inspiciendum, quæ sunt: 1. Auricula externa substantiae eartillaginosæ, tortuosa & spiralis, quo sic sonus, ex aëris tenuioris undulatione proveniens, temperetur, concentretur, & per varias anfractus inflexus, tympanum leviter percellat citra læsionem. 2. Tympanum est membrana quædam circulo osseo adfixa, tendi & relaxari apta nata pro cuiuslibet soni intensione & remissione, ut

ut sonum præparet. Non tamen est hæc immediatum organum auditus. 3. Intra hanc sunt 3. ossicula: *Malleus* radii sui extrema parte membranæ tympani adnexus & tendini musculi auditorii e diversa altera sui parte acutiori ita adfixus ut totus contracto musculo moveatur: *Incus* ossiculum rotundum, duobus crurib. infistens, quorum unus ossi petroso cartilagineo, alterum stapedi adnectitur: *Stapes* tertium ossiculum ossi petroso adligatur. Hæc 3. ossicula sibi invicem sic libere inarticulantur, ut tympanū vel tensius vellaxius reddant. Gratis igitur a nonnullis adscribitur malleo vis tympanū pulsandi. *vid. du Ham. Tom. 2. l. 2. de corp. anim. c. 4.* Est etiam ligamentū transversum, quod prohibet musculum auditorium justo plus spiritum recipere, & inde nimium tensum tympanum rumpere. 5. notatur *Cavitas*, quæ aëre ingenito & puriori repleta esse creditur, & duplex ostiolum, quorum unum ad palatum excurrit, per quod sonus interdum percipitur, in quo etiam valvula est quæ aëri ingresso exitum præcludit. 6. *Nervi auditorii*, septimi parisi propagines, duo utrimque, quorum alter durior in faciei, oris & palpebrarum musculos vergit, alter mollior extra cranium non excurrentes quasi in duos ramos se dividit, quorum unus viciniori *Cochleæ* inferitur, alter juxta utriusq; *Cochleæ* conjunctionem in minimas fibrillas definit. 7. *Labyrinthus spiralis* & tortuosus ex duabus *Cochleis* quasi compositus, in quo sonus præparatus & distinctior factus nervo auditorio insinuatur, in hunc ex cavitate aëris ingeniti per foramen ovalis figuræ concavum sonus intromittitur, quod dicitur *fenestra. consul. Du Ham. Willis. Vesling. Anat. c. 16. vid. fig. 5.*

§. II. Fit igitur sonus ex aëris concussione & agitatione, ex qua subtilissimæ aëris particulae segregantur, quæ peculiarem motum

tum tremulum & undulationes varias accipiunt, que ad auditus organum deferuntur atq; inibi variis modis præparata & temperata ad sensorium demum per nervum auditorium deducuntur. Unde patet duplē motū contrarium requiri, unū, quo crassiores particulæ à tenuiorib. separantur, alterū, quo subtiliores illæ peculiarē particulæ undulationem accipiunt: unde Sonus multo celerius promovetur crasso aëre. Sonum etiam augere potest vel vis elasticæ aëris, que major in crasso quam tenui aëre, vel vehemens solidi corporis commotio, vel vibrationum reflexio. Aër concussus in arctius spatiū contorquetur quidem, sed plaga sibi inflicta aëri proximo communicatā statim vi elasticā in pristinum statum se vindicat, & sic consequenter ut undulationes fiant, quod exemplo patescit lapidis in aquam projecti. Soni a. diversitas mensuratur a diversitate corporis tonori & aëris ab eo commoti, unde variæ specis soni: sic acutus sonus ex celeritate & conduplicazione motus, gravis ex tarditate motus pendet. Sonum vero hac ratione fieri, scilicet per motum quendam peculiarē, per plurima experimenta comprobant. Quid? quod Arist. l. 2. de anima text. §2. & §8. impensisori quidem opera, sed minus felici successu multoties hoc inculcare admititur. Quis alias sit, quod vitrum, certo observato ordine, conflatum sola loquentium vocē frangatur? Quod testudo parieti adpensa, nullo pulsante sonum edat, si modo alterius, quæ pulsatur, chordæ sic tensæ sint, ut illius chordis ex asse respondeant? Quod, tormentis explosis, fenestræ perfringantur, dolia disrumpantur, ut vim diffluat, ova sub avibus frangantur. Per tubas Anglicanas sonus per unum milliare vel supra propagatur. conficiuntur etiam tubæ conicæ figuræ, cuius ope per 2 vel 3. milliaria sonū extendere valimus; ratio, quia undulationes integræ servantur. Sic etiam debilis auditus instrumento quodam

dam oblongo corroboratur: propterea etiam aures Asi-
norum & Equorum sunt parabolicæ figuræ.

vid. Du Hamel. L. 2. de anim. text. 82, 85. conf. Du Hamel.

CAP. IV. De Gustu.

§. I.

Organum hujus fere idem est cum organo tactus, scilicet glandule papillares, & sic fere idem est cum organo tactus. Lingua nihil est aliud quam insignis quidam musculus per plurimas fibras habens, quarum beneficio in omnes facile partes flecti potest. Epidermidi lingvæ membrana quædam retiformis, glutinosa, multis foranimib. perforata subjacet. Per hanc substantiam glutinosam penetrantes papillæ illæ, in epidermide paululum prominent, quarum quædam conicam figuram imitantur. Ad unam- quamque harum nervuli e cerebro prodeunt. Inter aculeos illos, in superficie lingvæ conspicuos instar cornuum resident hæ papillæ, quorum munus est rigidiores particulas a molliorib. papillis arcere. In oris porrò cavitate plures sunt glandulæ conglomeratæ, salivales diætæ, quæ in oris cavitatem salivam profundunt per ductus salivales internos & externos, singulæ singula vasa excretoria habentes. Et saliva non minus ad dignoscendos sapores facit, quam dilutionem alimentorum promovet: siquidem, quod chymicis perspectum, ex acido, oleo, aqua, spiritu volatili & sale lixiviali commixta sit.

§. II. Et sic sapor nihil aliud est quam convenientia atomorum rei sapida cum poris conorum seu papillarum lingvæ, salem imbibentibus. Et prout sal magis vel minus poris conorum est conveniens, sic sapor gratior vel ingratiior nobis est: Differentia etiam saporis ex varia spiritus, sulphuris & salis permutatione mensuratur.

Vidēsis Du Hamel Tom. 2. l. 2. c. 2. de corpore animato.

CAP. V. De Olfactu.

§. I.

Eius præcipuum organum censentur fibrillæ quam plurimæ, quæ à cerebro prodeentes in summitate narium membranam constituant. Supra hanc iterum est os, cibriforme dictum, per quod nerveæ illæ fibrillæ penetrant, cuius munus est effluvia corporæ quasi percolare, disconvenientia segregando.

§. II. Fit igitur odoratus hoc modo: effluvia illa subtilissima e corporibus odoriferis promanantia membranam percellunt, ubi fibrillæ nerveæ olfactoæ illa excipit & per os cibriforme ad sensorium commune dedit. Magnam cognitionem habet cum gustu, adeo ut non sine ratione quidam statuerint hujus organum nihil diversi esse ab illius organo, cum omnia fœtentia etiam sint insipida, & alterius organo læso etiam alterum torpescat: Odores tamen subtiliores, sapores crassiores itidem sunt. Mucus non è cerebro, ut vulgo creditur, defluit, sed ex glandulis, in suprema cavitate narium positis, provenit. Adisis Du Ham. Tom. 2.l.2.c.3. de corp. anim.

MOMENTUM TERTIUM.

DE SENSU INTERNO.

§. I.

Cerebrum humanum, ut Palladi & Mnemosynæ sacrum delubrum, ejusq; fabricam admirabilem, pœnitibus celeber. Anatomis Willisio, Malpighio, Stenone, Bartholino, Du Hamel &c. leviter saltē prelibare, & quasi per transennam inspicere è re valde est; quod ipsum rite debitoq; modo persequendi nisus plus quam unicum Herculeum laborem suppeditat: Nec mirum quod hoc tam clari nominis Anatomicos, qui in hoc communi clivo desudarunt, defatigari: utpote tot cerebri involucra, tot glandularum acervi, tot fibrarum fibrillarumq; contextus, tot anfractuosi gyri, ambitus, Mæandri, tot vasorum, sinuum, surculorum, plexum, cellularum,

propa-

propagines, tot ductus medullares, limbi, lobi, tubercula, cava-
tes, venarum arteriarumq; ossiola, striae &c. Hec omnia rigorose
prosequi, ut praesenti instituto disconvenit, ita perpauca ut prae-
cipua tangere ingens est opera curæq; pretium, quo sic interioris sen-
sationis æconomia felicius percipiendæ animum calatumq; consecra-
re possimus.

§. II. Omissis tegumentis & velamentis, quibus cerebrum
involutum (que sunt: pericranium, cranium, quod median-
tib. 3. suturis, coronali, sagittali & lambdoide, ex 8. offi-
bus constituitur, dura meninx seu mater, tenuis Meninx
seu pia mater) sequentia animo lustranda:

§. III. 1.^{mo} Cerebrum hominis est longe majus proportione sui
corporis, quam cæterorum animantium; Et quidem, ad seren-
te Bartholino, anat. l. 3. c. 3. ut plurimum homini duplò
plus cerebri est, quam bovi, scilicet ad pondus 4. vel 5. li-
brarum. nam functiones majores homini necessariæ re-
quirunt etiam majorem molem. Hinc Willis: De cereb.
c. 26. in dissecto cadavere cuiusdam, ab utero fatui, nil vi-
tii se deprehendisse, præterquam, quod ejus cerebri mo-
les esset valde exigua, testatur. Sic etiam Cercopitheci
cerebri moles proportione sui corporis est quam magna,
ut quæ canis vel vulpis cerebrum magnitudine adæquet,
(teste eodem) unde ad ingenium hominis proprius, quam
reliqua bruta, accedit.

§. IV. 2.^{do} Cerebrum e duplice substantia componitur, Cinericea
les lutea, & albâ. Illa exterior, cortice obducta, perpetuis ovalis
figuræ glandulis constans. (teste Malpighio) In cortice innu-
meri conspiciuntur gyri, anfractuosæ circumvolutio-
nes, sulcorum, plexuum, sinuum vasorumque multiplex
adparatus, cuiusmodi omnia organa spirituum animali-
um, & succi nervi, qui spirituum est vehiculum, a san-
C 2 gvine

gvine arterioso separationi, percolationi, procreationi & philtrationi destinata esse, facile fuerit judicatu. Hæc interior est alba, callosa & medullosa, infinitis fibrillis instar tubulorum compacta, quæ forte oriuntur ex glandulis illis partis cinereæ. Porro duo corpora striata dicta, quippe quibus striæ innumeræ quasi spirituum distinctæ orbitæ insculptæ, quæ medium cerebrum occupant, ductibus medullaribus ut funiculis excavatis donantur, quorum beneficio cum reliquis cerebri partibus communicant. Et hæc corpora striata sensuum commune habentur per quorum strias spiritus & species sensibiles certo ordine quasi per castra divisæ dispositæque, eo commodius glandulæ pineali ut palatio & arci animæ se fistunt. Omnes itidem portiones cerebri reliquæ, basis utriusq; corporis striati, thalami nervorum opticorum, seu tubercula illa, quæ nervi optici divisi subeunt, limbus anterior & posterior utriusq; corporis striati, crura bina fornicens, fornix, tubercula, nates dicta, cerebellum &c. eum corporib. istis striatis mediantibus funiculis illis medullaribus conjunguntur. Quocirca in hac alba cerebri parte functiones omnes sensuum perfici clarum est. Siquidem spiritus in hisce fibrillis continua agitacione fluctuantes, glandulam pinealem in æquilibrio fluidissimo libere positam æqualiter ab omni parte respiciunt, eique motus suos communicant. Quin imò observatum est a Willifio, Fracassato & aliis hanc partem albam in homine, cercopitheco, Simia & quibusdam aliis esse longe majorem; adeoque etiam longe acutioribus & perspicacioribus sensib. internis donari, quam in cæteris animalibus, quorum contra cortex cerebri magnitudine prævalet. Hinc etiam partim tanta in hominibus ingeniorum diversitas, quod alii stupidiores, alii vividiores & acutiores.

§. V. 3.^{ta} Vasa sanguifera, per quae sanguis sursum enititur, eorticemque cerebri adluit, sunt arteria carotides, que juxta os cuneiforme varie ramificantur, & plexum retiformem constituant, rete mirabile dictum, quo sic violentus sanguinis fluxus divisus frænetur, ne cerebrum obruat; & vertebrales, que itidem in variis ramos distributæ cum aliis vasis plexum choroidem componunt, in quo perplures glandulae collocatae, que cum glandula pituitaria, juxta sellam equinam posita, serum sanguinis superfuum externunt. Illæ cerebrum, hæ cerebellum irrigant. Præterea sinus 4. duræ meningis, quorum 3.^{ius} dicitur Falx, sanguinem in venas jugulares amandando, ad cor reducunt. Horum concursus vocatur torcular.

§. VI. 4.^{to} Cavitates 3. que etiam ventriculi dicuntur, (quibus etiam a quibusdam, 4.^{tos} additur) videntur a simmo nature plaste motu spirituum promovendo esse destinate. In his tenuissimus aër continetur, cuius officium est partim illas distendere tenere, partim cum spiritibus mixtus eos vegetos reddere & veloces, non aliter ac sanguis in pulmonibus ab aëre externo floridus & spumosus redditur. Quod ipsum magno nisu probant Fracassatus, Silvius, Malpighius, Du Hamel, Boyle &c. Veterum sententia, illas scilicet esse officinas spirituum, & domicilia sensationum; humoribus itidem cerebri inutilibus excipiendis dicatas, jam dudum in auras abiit.

§. VII. 5.^{to} Tota deniq^z cerebri substantia in duas portiones, mediantibus meningibus secatur, videlicet cerebrum & cerebellum, cum appendice spinali medulla, que etiam nihil aliud est quam produc^{tio} & continuatio cerebri, nervorumque constituitur principium & veluti ipse truncus fibrarum, que in ipsum cerebrum quasi in spatiosorem campum erumpunt, inque innumeros & flexuosos ambitus se expandunt, adeo ut cerebrum cum spinali medulla, auctore

Malpighio, brassicam capitatam cum suo caudice referat. Cerebrū in antica capitis parte triplo fere major cerebello, motus spontaneos, imperioque animæ subiectos dirigit. Quin imò pro varia ejus dispositione, temperie, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, partium conformazione etiam ingenii facilitas & stupiditas, vis imaginatrix & memoria variant. Cerebellum in postica parte constitutum, non adeo multiplici & varia partium efformatione donatum, motus omnes naturales, qui animâ vel insciâ vel invitâ effiunt, ut sunt motus cordis, circulatio sanguinis, respiratio &c. exsequitur. Ceteris organis cerebri, ut sunt Fornix, testudo, duo crura fornicis, processus retiformes, pons, infundibulum, tubercula, nates & testes dicta, centrum ovale &c. eorumque muneribus plene exponendis harum pagellarum angustia haud sufficit.

§. VIII. *Hinc facilis premonstratur via omnes functiones ritte percipiendi hoc modo: Spiritus jamjam separati in hisce fibrillis excubias agunt, donec vel anima sua sibi munera imperet obeunda, vel objectum aliquod externum novam sibi speciem per continuitatem spirituum communicet. Quocirca primò organum vel aliqua pars corporis nostri, tanquam fores animæ ab objecto externo pulsatur, eique ictus modificatus pro modificatione superficie objecti infligitur, qui dictum factum eodemque plane modo propter continuam spirituum texturam ad cerebri corpora striata, ubi sensus communis, primamque sui perceptionem objectum anima sistit & communicat, defertur, & sic ad glandulam pinealem. Dein idem ictus & motus, jamjam phantasma dicendus, ulterius ad substantiam cerebri callolam progreditur, inibique clara objeci-*

Eti imago repræsentatur; & hoc dicitur facultas imagi-
natrix seu phantasia. Hæc demum impressio & spiritu-
um fluitatio, jam phantasmatis nomine donata, ad cere-
bri limbum transmittitur, ibique consistens per molles &
flexiles fibrillas hue illuc discurrendo, ejusmodi sibi for-
mat semitas, vestigia & characteres, quæ sic ad commo-
dos usus reservantur, ut vel tales maneant, vel ad quam-
cunque oblatam occasionem ad phantasiam iterum eodem
modo remeare possint, cursumque reciprocum totiens
repetere, quotiens anima opus habet: Et hoc dicitur
memoria & reminiscientia.

§. IX. *Et hoc ratione non nisi unum sensum internum agno-
scunt quidam philosophi, tribus instructum facultatibus, scilicet sensu com-
muni, imaginatione & memoria.* Ille omnium primò objecta
simpliciter percipit: Ista clarius objecta non tantum præ-
sentia sed etiam absentia depingit & delineat, eaque velut bo-
na vel mala, nobis convenientia vel disconvenientia, conjun-
gendo conjungenda & separando separanda: Hæc est phan-
tasmatum receptaculum & promptuarium ubi illa recon-
duntur, indeque denuo phantasie committuntur, cum qua-
vis de causa agitatis & commotis fibrillis exutiuntur.
Hæc corpora striata concipit Du Hamel Tom. 2l. 3. c. 5. ut vi-
trum, quod phantasmatum pertransiunt, corpus callosum ut
opposita tabula in qua imagines depinguntur &c. quæ vide.
Porrò si que restat difficultas ut cumq[ue] dispalefcere poterit ex Probl. seqq.
(cum hæc ut conjectaria ex ante dictis resultant: non a. est
ut quis sentiat me isthæc eo animo adposuisse, ut Amplissi-
mæ Facult. Medic. in præjudicium vergant, sed permisisti Ex-
cell. Dn. Doctoris Medicinæ Eliæ *Lil Landi*) quæ etiam cate-
roquin nullo negotio, probe percepta cerebri æconomia, solvuntur.

§. X. I. Cuinam præcipue origni & causæ debeat omnes cerebri morbi, capitis dolores, stupores, catarrhi &c. Hoc quicquid sit, fit vel ex sanguinis vitiosa temperie, nimia ejus vel raritate & effervescentia, vel tenacitate & lentitate, unde tumor ex impedita circulatione oritur, vel serosi humoris exundantia, vel vasorum ruptione, unde meninges nimis distenduntur, quæ sensus sunt exquisitissimi. (α) *Apoplexia* fit quando cessante cerebri motu (nam in confesso est cerebrum ad singulos arteriarum pulsus subsultare & elevari, unde spiritus ad singulas corporis partes diffunduntur) & fibrillis confidentibus via vehendis spiritibus præcluditur & sic functiones omnes deficiunt: ceteroquin etiam hic morbus ex nervis vel obstruētis vel abscessis vel alijs male affectis oritur (β) *Tubes & Pthisis* fit, cum serum sanguinis superfluum in suis vasis stagnat, & sic in particulas acidas, acres & rigidas convertitur: Morbi soporiferi oriuntur, si humores hi acres & noxii in ipsam cerebri substantiam penetrant, cum etiam sanguis nimia copia hujus seri rarefit, acescit & quasi ebulliendo membranas cerebri distendit, imo & vasa sua rumpendo effluit, non solum capiti, verum etiam toti corpori stuporem & torporem conciliat. (γ) *Vertigo & Scotomia* oriuntur, cum sensus communis & vis imaginatrix lœduntur & perturbantur aut ex spirituum insolito & inordinato cursu, aut etiam ex ipsis cerebri prava & vitiosa conformatione. Sanguine autem vitiato, vitiantur etiam spiritus ab eo percolati, sicut & liquor nerveus, spirituum vehiculum. Spiritus in cerebro circumgyrantur non aliter ac aqua, in vase multoties circumducto, per varios vorlices & turbines in orbem agitur. Et hæc spirituum circumgyratio repræsentat objecta externa imaginationi eodem modo cir-

do circum gyrari. In Scotomia anima ex terribilitate alicujus objecti, quod imaginationi repræsentatur, spiritus intus in conclave suum e nervis revocat; nervis autem spiritibus evacuatis visus & omnes sensus externi tolluntur, unde oculi obtenebrati, pedes vacillantes redduntur. (δ) **INSANIA, MELANCHOLIA, DELIRIUM, PHRENESIS, STUPIDITAS, MANIA** &c. non solum imaginationis & memoriæ vim corrumpunt, sed etiam judicium, adeo ut Spiritus huc illuc incerto ordine cursitando, tumultuando, sibi invicem occurrendo, in solita trepidatione saltando, cerebri fibrillas subeuntes in solitas etiam inibi imagines & vestigia imprimunt, quas imagines etiam anima, ut, qui corpori intime unita, sine delectu & discrimine connectit. Nam non possunt non certæ cogitationes in anima respondere certis motib. in corpore & vice versa, qui motus si insoliti, enormes & absurdæ fuerint, necessario etiam cogitationes in anima insolitæ & absurdæ sunt. Hic autem Spirituum motus varius dependet ab eorum temperie, quæ iterum a temperie sanguinis fluit. In melancholicis sanguis habet magnam copiam acidiorum particularum, quæ faciunt sanguinem nimis lente circulari, & sic in pulmonibus restagnare, adeo ut nec Spiritus justa copia generari possint, unde anxietas animi & tristitia oritur. In phreneticis languis habet particulas sulphureas, quæ cito inflammantur: unde Spiritus quasi ignei magna vehementia feruntur, omnesq; imagines tam recens adscitæ, quam antea reconditæ confuse colliguntur, sive quadrant sive non, animæq; fistuntur, & sic ex falsa relatione tam enormes anima corpori imperat actiones: Et hæc etiam origo febrium est. Maniacis & insanis sanguis est acrior & rigidior, stupidis languis & Spiritus sunt nimis hebetes, inhabiles & ad motum tardi, ef-

fæti, vappidi, lenti & aliis rationibus male affecti. adsis
Du Hamel Tom. 2. l. 3. cap. 5, 6, 7, 8, Willisum, de patho-
logia cerebri hæc omnia succinèt & operose illustrantem.

§. XII. 2. Quamnam cerebri temperiem requirat facultas i-
maginatrix & sensus Communis? ut objectorum imagines non
solum prompte excipientur, sed etiam expedite & felici-
ter formentur & exprimantur, calidior cerebri complexio
postulatur. Etenim cum fibrille sunt magna effervescentia molles,
flexiles & cuivis vel minimo motui cedentes, species cito admittunt,
vestigiaq; & imagines accipiunt, sed statim perituras, conci-
dentibus fibrillis.

§. XII. 3. Judicio quæ temperies adcommoda? Frigida &
sicca, nam sic fibrillæ constanti & invariabili forma & po-
situra firmæ & non adeo leves, plicabiles & mobiles ma-
nent. Unde inebriatio & qvivis humor superfluus judicium la-
dit, verum contra vim imaginatricem promovet.

§. XIII. 4. Memoria quod temperamentum requirit? hu-
midum & molle. Fibrillæ namq; tenellæ molles & flexi-
biles cuivis impressioni sese adcommendant: Si hæ justo
molliores, subtiliores ac graciliores sint, memoria est ve-
lox & facilis, sed nondiu durans, ut in pueris; si paulo
rigidiores & duriores, species difficilius impressæ diutius
manent. Et istiusmodi reminiscientia que in continuo & sibi invi-
cem coherentium phantasmatum nexu consistit, nobis cum brutis est
communis.

§. XIV. 5. Hinc facile patet, cur hæ functiones, simul & semel,
in eodem subjecto & que faciles, veloces & vegetæ nunquam invenian-
tur, vigoremq; parem obtineant; sed prævalente una debilitetur altera,
videlicet ob diversam & contrariæ ejusq; facultatis temperiem: Sic eti-
am vires ingenii cum viribus corporis non convenient. Quin & quæ-
vis disciplina & scientia peculiarem sibi vendicat faculta-
tem,

tem, sicut E. g. imaginatione singulari pollentes eloquentia & poësi quam cæteris sunt aptiores. Et versa vice. videatur Fig. 6. aliqualiter delineata, ut oculari inspectione animi judicium adjuvetur, duplicem cerebri substantiam, glandulæ pin. situm &c. solummodo continens: Qvia non dabatur copia periti alicujus sculptoris.

Mantissæ loco, aliquot Corollaria, partim ut consequentaria, partim ut ~~memoria~~, partim ut ~~memoria~~ adjecta.

1. Nihil pestilentius philosopho, quam dubitatio Scepticorum, ut & infantie prejudicia.
2. Duditatio philosophica Philosopho futuro adprime utilis ac necessaria. Arist. Metaph. l. 3. cap. 1. Text. 1. § 2.
3. Hominis sensatio non eodem modo ac Angelorum, Brutorum, animalium separata perficitur.
4. Anima a corpore separata non naturam sed statum mutat.
5. In uno homine, utut monstroso, non sunt plures, quam una anima rationalis. Ad hanc Sperling. qui aliquot monstra recenset, unum puerum duobus capitibus, duobus pectoribus &c. infra umbilicum vero integrum; alium etiam tribus capitibus, tribus pectoribus, 6. brachis, 6. pedibus &c. Itidem aliud (cui nomen Lazarus Colredo) corpore alijs egregie conformato, sed cuius lateri sinistro alius homuncio (qui gemellus & frater Lazari, nomineque proprio Johannes Baptista salutabatur) uno capite, uno pectore, duobus brachiis, unico pede adbærebatur.
6. Nec oculus videt, nec auris audit, sed anima, cui, & non organis competit percipere: Hinc si oculum vel aurem cum omnibus suis requisitis in manu vel pede haberemus collocatam, nil impediret quin æque bene videremus & audiremus. Eadem etiam ratio de cæteris organis.

7. Anima eorum. qui in hac vita virtutem & bonas literas sectati fuere, in altera vita perfectiores fore, quam ceterorum, scilicet incultorum & rusticorum, qui virtus se dedere, probabile videtur; quamvis alias omnes animae aequae perfectae sint quoad ipsam essentiam.
8. Infantibus utero materno plures etiam idee, variis, appetitus paulatim per sensus accedunt
9. Hic Canon: nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, est valde absonus.
10. Animae nostrae cognitio est longe prior & facilior cognitione corporis.
11. Cujuscunq; rei natura & essentia terminis negativis non adequate sed aliqualiter declaratur.
12. Elogium: Oculi plus vident quam oculus, non est absolute in philosophicis verum; adeoq; nec isthuc: Nihil jam dictum est, quod non dictum sit prius.
13. Intellectum esse instar tabulae rase recte rationi minime convenit.
14. Summa rerum genera, quae vulgo praedicamenta audiunt, non dantur nisi duo.
15. Galeni Lucretii, Archimedis & aliorum sententia, videlicet animam ex varia rerum corporearum temperatione esse compositam sua falsitate satis superga; radiat.

Summo naturae Plastae, & æterno Moderatori Olympi fit honor & gloria in secula nunquam terminanda.

